

Johann Gabriel Pries


## **Commentatio Critica De Divina Legvm Mosaicarvm Praestantia, Ex Indole Cavssarvm Moventivm Eruta**

Gustroviae: Typis Io. Gotth. Fritzii, [1756]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881464902>

Druck Freier  Zugang






*MK-9453. (2)*





Inhalt:

Progr. z. Geburtstagsfeier des Landesfürst.	1754.	m. Ath. Pries,	Joh. XII, 43.
Progr. z. Geburtstagsfeier des Landesfürsten	1755.	m. Ath.: Pries,	De div. leg. Mosaic. praesentia.
" " " " "	1756	" " " " "	" " " " "
" " " " "	1757.	" " " " "	" " " " "
" " " " "	1759.	" " " " "	De Fructibus theocratia.
" " " " "	1763.	" " " " "	De Henrico Pacifico.
" zur Friedensfeier	1763.	[1762 steht M. 55 16.]	
" Geburtstagsf. d.	1764.	" " " " "	De Litt. apud Romanos.
" " " " "	1765.	" " " " "	De facti alieni imputatione.
" " " " "	1766.	" " " " "	de variis textus N. T. q. lecturibus.
" " " " "	1767.	" " " " "	De divina stili script. N. T. auctoritate.
" " " " "	1768.	" " " " "	De Lxx interpretibus.
" " " " "	1769.	" " " " "	De volupt. ex relig. percipienda.
" " " " "	1770.	" " " " "	De script. profanis.
" " " " "	1771.	" " " " "	De Facili in reb. sacris ignorantia.
" " " " "	1772.	" " " " "	De temporis et aeternitatis conceptu.
" " " " "	1773.	" " " " "	Joh. I, 1, 4...
" " " " "	1774.	" " " " "	De E. Karwoodii libello de symbolo Athenesiano.
" Reformationsfest 31. Oct. 1775.			
" Geburtstagsf. d. Landesherm	1775.	" " " " "	De Christo ...
" " " " "	1776.	" " " " "	De can. libr. V. T. auctoritate.
" " " " "	1777.	" " " " "	De Edda Islandica.
" " " " "	1778.	" " " " "	De anthropodamomibus.
" Gedächtnisf. f. Herzog Friedrich	1785.		
" Einführung d. Direct. Fuhs.	1789.	Piper,	Ab. Einrichtung d. Domschule.
" " off. Schulprüfung.	1789.		
" Cantate z. Lehrer. Einführung.	1789.		
" " " " "	1792.		
" " " " "	1793.	(Winter)	
" " " " "	1793.	(Sommer)	m. Ath.: Fuhs, Ex Evang. ostenditur, quomodo...
" " " " "	1796.		



COMMENTATIO CRITICA  
DE  
DIVINA LEGVM MOSAICARVM  
PRAESTANTIA,  
EX  
INDOLE CAVSSARVM MOVENTIVM  
ERUTA.

ACROAMATI ORATORIO  
SERENISSIMI DVCIS, PRINCIPIS AC DOMINI,  
DOMINI  
CHRISTIANI  
LVDOVICI,  
DVCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI,  
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI AC  
RACEBURGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS, TERRARUM  
ROSTOCHII AC STARGARDIAE DYNASTAE,  
DOMINI NOSTRI ET NVTRITORIS HVIVS GYMNASII  
LONGE CLEMENTISSIMI,

AVGVSTO NATALI,

DIE XV. MAIL. A. R. S. MDCCLVI. ILLVCSCENTI,  
S A C R O,

ET IN AVDITORIO MAIORI HORA IX. MATVTINA  
SOLLEMNISSIME HABENDO,  
INVITATIONIS CAVSSA PRAEMISSA

AVCTORE  
M. IO. GABR. PRIES,

DVCALIS GYMNASII GVSTROVIENSIS RECTORE.

GVSTROVLÆ, TYPIS IO. GOTTH. FRITZII, SER. PRIN. TYPOGR. AVL.







§. I.  
 iem, quo nascimur, populos, pluri-  
 um Deorum cultores ab omni aetate  
 faustis profecutos acclamationibus,  
 nihil eorum omisisse, quae laeti ominis  
 ac faustissimi auspicii esse videbantur, me quidem iu-  
 dice est testatissimum. Omnium scriptorum antiquis-  
 simus, Moses, diem Pharaonis, Aegypti Regis an-  
 niuersarium, quem non nisi natalem fuisse manifesto  
 adparet ex versione LXX, voces יום הולדת per  
 ἡμέραν γενέσεως explanante, sollempni ritu fuisse celebra-  
 tum,

Ducis Re-  
 gnantis na-  
 talis.

tum , satis confirmat Genes. Cap. XL , v. 20. \* Auctores itidem profani , quos vocant classicos , eiusdem rei amplissimum perhibent testimonium , vt nullus dubitationi relinquatur locus. Sic canit Poëtarum Lyricorum facile Princeps , Horatius Flaccus

licebit,  
Ille repotia , natales , aliosve dierum  
Festos albatus celebret.

Libr. II. Satyr. II.

& copiosus ac elegans Ovidius

Magna superstitio tibi sit natalis amicae,  
Quaque aliquid dandum est , illa sit atra dies.

Libr. I. Art. amat. v. 417.

Ecce superuacuus (quid enim fuit vtile gigni?)  
ad sua natalis tempora noster adest.

Libr. Trist. III. Eleg. XIII.

Nec singulorum modo hominum , sed etiam societatum maiorum , puta civitatum , imperiorum & coloniarum dies auspicales sacri , festique omni existiterunt tempore. Orbis terrarum Domini , Romani , XI. Calend. Maii , quo die vrbs condita erat , tamquam Patriae natalem , mirifico omnium aetatum studio celebrarunt , nec non Brundisinae coloniae natalem , qui in mensẽ Sextilem incidebat , semper sanctum

\* vid. DOUGTHAEUS in Analect. sacris Exerc. XXV. & de die Herodis natali , cuius mentionem faciunt Matth. Cap. XIV , v. 6. & Marcus Cap. VI. v. 21. RICH. MONTACUTIUS in adparatu ad Origin. Eccles. Part. II. pag. 141. seqq.

sanctum habuerunt. \* Quare, quum ipsi gentiles hoc laude dignum exemplum nobis ad imitandum proponant, quanto magis nos,

queis meliori Luto finxit praecordia Titan, \*\* natalem Principis, qui non sibi solus natus est, cuius ortus partem patria vindicat, partem cives, partem Musae, partem Gymnasii docentes & discennes, \*\*\* natalem, inquam, auspicatissimum

Serenissimi

Ducis Principis ac Domini,

DOMINI

CHRISTIANI LVDOVICI,

*Ducis regnantis Megapolitani, Principis vetustae Gentis Henetae, Suerini ac Raceburgi, Comitis item Suerinensis, Terrarum Rostochii ac Stargardiae Dynastae,*

PATRIS PATRIAE INDULGENTISSIMI,

Domini nostri & Nutritoris huius Gymnasii  
longe clementissimi,

laetos & gratulabundos concelebrare, fas est?

A 2

§. II.

\* legatur Cicero Epist. libr. IV. ad Atticum Ep. I. & de Constantinopoleos natali ZONARAS Tom. III. Annal. pag. 7.

\*\* Juuenalis Satyr. 14.

\*\*\* Cicero libr. I. Offic. Cap. 7.

Syllabus  
orationum &  
oratorum.

Communi prouinciarum Meclenburgicarum de  
augusto die natali *Ducis regnantis* gaudio Gymnafii  
Musis excitatis, nonnulli iuuenes, quorum nullus  
pietatis, diligentiae & morum optime compositorum  
laude est fraudandus, in sollempnibus hisce sacris in  
*Serenissimum Ducem* pietatem, devotionem & fidem  
publica acclamatione significare, in animum induxe-  
runt. Quem in finem orationum argumentum, diei  
sollemnitate dignum ex historia patriae, ipsi petierunt.  
Perorabunt enim

primus, indicto *Serenissimi Principis* natali auspiciatissi-  
mo, de *Duce Regnante* CHRISTIANO LV-  
DOVICO munificentissimo *Musarum Patrone*,  
reliqui de nonnullis *Meclenburgicis Principibus ingenii*  
& *doctrinae Principibus*,

nimirum secundus de *Obotritorum Rege* GODESCALCO,  
*oratore sacro*,

tertius de JOHANNE II, *Theologiae Doctore Parisensi*,

quartus de WILHELMO, *tempore JOHANNIS HUSSII*  
*studiis Pragae vacante*,

quintus de ERICO II. *Rectore Academiae Rostochiensis*  
*Magnificentissimo*,

sextus de MAGNO, *primo post Lutheri emendationem*  
*sacrorum Praesule Suerinensi*,

septimus de JOHANNE ALBERTO, *duce eloquente*,

octauus de ULRICO, *litteris & sacris negotiis deditissimo*,

nonus de CHRISTOPHORO, *Philosophiae Cultore*,

ac

ac decimus de GVSTAVO ADOLPHO, commentatore sacro, & Duce latine, graece & hebraice docto, Deum optimum Maximum, simul rogaturus, vt faveat porro & propitius sit *Serenissimo Principi*, efficiatque, vt hic augustus natalis quotannis iucundior laetiorque reuertatur.

Exsequentur autem munus officii ac tuebuntur praeclari iuuenes

- I. JOHANNES THOMAS SPALDING,  
Gustrouienfis,
- II. CHRISTIANVS JOH. HENRICVS HAKER,  
Rambow-Meclenburgicus,
- III. PETRVS JOHANNES HAGEDORN,  
Gustrouienfis,
- IV. JOHANNES GVSTAVVS SPALDING,  
Gustrouienfis,
- V. CAROLVS CHRISTIANVS de MÜLLER,  
Gustrouienfis,
- VI. HERM. FRIDER. EPHRAIM BECKMANN,  
Marlouenfis,
- VII. ADOLPHVS AVGVSTINVS BECKMANN,  
Marlouenfis,
- VIII. FRIDERICVS IVLIVS BÖHMER,  
Sultza Meclenburgicus,
- IX. ERNESTVS JOACH. AVG. HAGEDORN,  
Gustrouienfis,
- X. LEVIN JOACHIMVS ALBERTVS HAKER,  
Rambow-Meclenburgicus,

Ita quidem , vt primus lingua gallica , secundus carmine latino , septimus carmine germanico , tertius quintus & octauus sermone germanico , reliqui lingua latina vtantur.

## §. III.

Inuitatio  
cum voto.

Quem admodum nullus dubito , fore , vt ex pietate in *DUCEM & PRINCIPEM INDULGENTISSIMUM Optimates , Maecenates , Patroni Musarum , Omniumque ordinum Fautores ac Amici* sollemnia haec nostra perendie hora IX. matutina illustriora & splendidiora reddant frequenti sua praesentia & desideratissima , nostrisque Oratoribus scholasticis benevolas praebent aures , & si dubitare fas esset , hoc ipsum ab illis omni qua par est , observantia , pietate & amicitia peto ; ita orationem hoc finio voto , vt Deus O. M. **PATRI PATRIAE OPTIMO** senectutem , quam ingressus est , det vegetam , & gloriosae **EJUS** iuuentuti simillimam atque virtutibus dignam , ac sanitati corporis omne felicitatis , quam humana conditio & principale fastigium recipit , genus , omnibus his vero non tantum diuturnitatem , sed etiam perpetuitatem adponat.

§. I.

§. I.

Jam elapsus est annus, a quo commentatio nostra de divina legum Mosaicarum praestantia, Deistis <sup>Ratio insti-</sup> COLLINO, TOLANDO aliisque opposita, pro- <sup>tuti.</sup> diit in lucem. In eo eram totus, vt, quantum inter ipsas, & quas ferunt Principes, intercedat discriminis, ex officiorum conditione lucide adpareat. De rationibus vero & caussis, quibus sapiens ille rei publicae Israëliticae gubernator ciues suos studuit, ad leges colendas commouere, nihil verborum factum est. In maximo circa hanc rem versari errore nobis videtur tam eruditione, quam sententiarum admirabilium & contra opinionem fere omnium studio apud ciues suos & nos celeberrimus Warburtonus in opere: *the divin Legation of Moses*, a S. R. Joh. Christ. Schmidio in linguam germanicam translato, doctisque locupletato adnotationibus. Contendit vir ille eruditus, Mosen nec futuri saeculi bona populo, qui sub eius erat ditione & imperio promississe, hinc inde colligit aduersus DEISTAS, leges eundem constituisse diuinas. Digna haec vtique est hypothesis, quae sub examen vocetur. Noster igitur nunc fert animus, orationis prosequi telam, tantumque huic subtexere, quantum nunc pro ratione temporis nobis liceat.

§. II.

A scopo nostro haud alienum erit, vnde generatim causarum moventium praestantia sit diiudicanda, paucis antea declarare. Philosophos si consulas, <sup>Causarum moventium praestantia unde sit cognoscenda?</sup> patefcit,



patefcit , quam plurimos eorum quoduis incitamentorum genus , fiue fit ftimulus , fiue impulsus naturalis , fiue quod vocant motivum , vna complecti comprehensione. Nubem testium , fi res tanti effet ponderis & momenti , adferremus. Vno tamen ore fatentur , fieri haud poffe , vt mens humana fine boni maliue intuitu regatur & flectatur. Habemus compertum , adpetitiones animae noftrae eo magis moueri , quo certius , & clarius ac faepius mens fibi bonum & malum repraefentat , & quo maius , quo frui licet , eft bonum. Eo nobilior ergo & praefantior erit cauffa mouens , quo certior primo & clarior eft boni intuitus , in quo plures deinde illud redundare potest , & quo maius tandem eft ac nobilius. Quum vero terrena , temporaria , ac caduca nemo faapiens tanto in pretio habeat , quanto fpiritualia , aeterna & per omnium faeculorum memoriam duratura ; fequitur , vt hisce cauffis fortiores & nobiliores fruftra defiderentur. \* Denique quarto addimus hunc cauffarum

\* Haec , quae de motiuorum praefantia paucis modo funt dicta , iam fufficiunt , nifi totus fallor , ad *Warburtoni* fententiam infirmandam & diluendam. In dubium non potest vocari , quin legislator , a Deo miffus optimis vtatur cauffis nouentibus , i. e. leges fuas muniat motiuis ex hac non minus , quam aeterna vita depromtis. Non modo enim infra Philofophos , morum doctores , qui fimul fpem vitae futurae tradunt , Mofes , minus tradens , quam quod Philofophus tradit , effet deprimendus , fed

cauffarum illarum praestantiae gradum & dignitatem,  
 eo sublimiorem ac celsiorem, quo est illustrior ac  
 magis conspicua redditur Dei O. M. singularis provi-  
 dentia,

& quae inter rationalem, & quae proxime a Deo  
 manifestata fuit, morum scientiam intercedit, dif-  
 ferentia si non tota, maxima tamen plane tolle-  
 retur. Adprime huc quadrant celebr. *Georg.  
 Frider. MEIERI* verba: „Ein Gottes-Gelehrter wür-  
 de nichts anders, als eine philosophische Sitten-  
 lehre predigen, wan er keine andere Bewegungs-  
 gründe zu diesen Pflichten vortragen wolte, als  
 welche in der philosophischen Sittenlehre vorkom-  
 men. Eine solche christliche Sittenlehre würde  
 nichts anders, als eine philosophische sein, in wel-  
 cher hie und da = ein Ausspruch der Bibel ange-  
 führet wird. In der christlichen Sittenlehre müssen  
 alle Bewegungs Gründe aus dem Verdienste  
 Christi hergenommen werden. &c. vid. *Eiusdem*  
 philosophische Sittenlehre. Tom. I. §. 28. Et  
*BILFINGERO*, varios virtutum gradus declara-  
 turo hic placet ordo: infimus ille gradus est, si  
 quis non noceat, sed potius beneficiat inimico,  
 vt eundem lucretur - - Superior priori gradus est,  
 si quis idem praestet inimico officium, quoniam in  
 ciuitate eius utilis est opera, - - Tertius vtroque  
 priori sublimior is est gradus, si quis easdem illas  
 actiones edat, quoniam nouit, Deum velle, vt  
 tantum boni praestetur viribus creaturarum,  
 quantum potest fieri - - Quartus denuo altior  
 gradus est, si quis ista praestet, quoniam Christus,  
 seruator inimicis quoque suis & Dei benefecit, pro

dentia, directio & gubernatio. Quodsi itaque impellentes suas rationes legislator repetat ex fortuna, siue sit prospera, siue aduersa; eo minus de diuina legislatoris dignitate esse dubitandum, nos quidem arbitramur, quo verior & certior res est, Deum eumque vnicum auctorem fortunae esse, ac totius terrarum orbis moderatorem sapientissimum.

§. III.

Singularis  
conditio bo-  
norum &  
malorum,  
quae Moses  
Israëlitis in  
hac vita pro-  
mittit, aut  
minatur.

Mortalium vnumquemque boni malique in hac sperandi vita, aut metuendi perceptionibus, quae sub sensu cadunt, potissimum regi, est notissimum. Mirum id nemini videri arbitror, qui vitae huius bona ac mala, nobis longe propiora, maiore animum saepius implere voluptate ac magis terrere, quam quae remota videntur & tandem aliquando post hanc vitam subsecutura, cognitum habet, atque perspectum. Accedit & hoc, quod eiusmodi perceptiones claritate sua (puta extensiuam claritatem) intellectuales superent, hincque fortius animi adpetitiones moueant. Fatendum igitur erit, reipublicae

„illis orauit, & passus est, eisdemque spiritum san-  
„tificatorem offert atque confert gratiam suam sa-  
„lutarem: si adeo bene agat ex motiuo redemptio-  
„nis & sanctificationis, dicam id scripturae sacrae  
„verbo, in nomine Christi &c.„ vid. *Eiusd. Dilu-  
cidat. Philos. de Deo* §. 496.

publicae Israëliitarum moderatorem, Mosem, qui cum praeceptis suis atque legibus eiusmodi coniunxit causas impellentes, optime rem gessisse. Conditio vero harum causarum est adeo singularis, ut quemquam legislatorum, apud Graecos ac Romanos fama clarorum, negemus deprehendi, qui illi vlla ex parte sit comparandus. Bonum enim & malum, quo Principes ciues suos ad actiones bonas edendas, malasque fugiendas incitant, impellunt ac adhortantur, necessaria quadam consecutione ex ipsis concipitur legibus, aut in ipsorum arbitrio ac voluntate sui habet rationem. At vero conditio praemiorum atque poenarum, quibus Moses ciues suos ad studium recti virtutisque mouendi omnem adhibuit operam, haec est, ut sine luculentissima prouida Dei cura nec sperari potuerint nec metui. Summa igitur cum certitudine veritateque, si haec causarum mouentium indoles dubio caret, contra Deistas colligendum erit, quod instituta Mosi ac praecepta diuinam habeant auctoritatem atque originem.

## §. IV.

Duplex est genus harum causarum, quas ex Animaduersione Dei in sobolem ob maiorum delicta. praesenti Moses repetit vita, alterum nimirum sistit poenas, alterum praemia, quibus omnem ac summam suis praeceptis conciliauit dignitatem. Inter comminationes, ut ab hoc genere ordiamur, haud extremo Dei, iudicis supremi, seuera animaduersio in sobolem

foholem ob delicta maiorum grauiora loco erit ponenda. Mortem, omnium malorum acerbissimum & extremum, si excipias, haud scio, an parentibus grauius & molestius malum infantum calamitate & miseria accidere possit. Quantus enim est, de caelo ipsorum animis inditus, amor in liberos, quantaque voluptas, quam ex salute eorum & felicitate capiunt: tantum dolorem & taedium sentiant, est necesse, si se esse ipsorum calamitatis causas, probe intelligant. Sacrae abundant litterae tam seueris comminationibus, vt dubitare esset nefas. Iam Moses sollempni ratione leges suas, omnibusque naturaliter innatas promulgandi facturus initium, his, quanta omnium primi praecepti sit maiestas & dignitas, declarat verbis, *כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא פקד עון אבה על בנים* Exod. Cap. XX, comm. 5. Vertit hunc versum Francisc. Iunius sequentem in modum: nam ego, Iehova, Deus tuus, Deus fortis, Zelotes sum, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes, & in abnepotes, in eos, qui odio prosequuntur me, cui adsentitur LXX. & b. Lutheri versio. \* Est haec vberius tradita do-

ctrina

\* Oraculum hoc quod quadam illustretur ac defendatur annotatione, vtique nobis dignum videtur, cum dici vix queat, quam contrarias in sententias ab omni aetate, ne quid de Iudaeorum Magistris dicam, reipublicae christianae doctores fuerint distracti. Iam pridem explosa ac damnata est Theo-

Strina Exod. Cap. XXXIV, v. 7. Numer. Cap. XIV.  
v. 18. Deuter. Cap. V, v. 9. Psal. XXI, v. 9. II.  
B 3 CIX,

non sicut *doretii* ac *Origenis* sententia, qui sensum malunt inferre, quam ex scriptura eruere, sensumque allegoricum ac parabolicum eidem pro ingenii sui modulo affingere, quam litteris inhaerere. In *Hieronymi* sententiam, illis longe clariorem certiore, & ad verborum seriem magis adpositam & accommodatam descendit b. *Lutherus* & qui eius vestigiis insunt. Discedunt autem ab illa *Auctores* d. *algem.* *Welfhist.* Tom. II. pag. 427. seqq. vocem פוקר praeter visitationis conceptum significare distributionem ac collationem, vocem vero עון, mutatis punctis vocalibus legendam esse עון habitaculum contententes, ut sensus commatis sit: Ego Jehoua Deus tuus, Deus fortis, Zelotes sum, conferens parentum habitacula (hinc & eorum facultates ac bona) in filios, in nepotes & abnepotes, imo in eos, qui me odio prosequuntur. Cui explanationi ut addatur calculus, tantum abiectus, ut, cum principiis hermeneuticae inferat vim atque iniuriam, eam reiiciamus. Constans enim, & in omnibus sacri codicis editionibus obuia punctorum vocalium lectio non temere est deferenda, nec alia pro lubitu & arbitrio in eius locum substituenda, nisi quis vellet omnem veritatem & certitudinem hermeneuticam penitus tollere. Est quoque haud probabilis opinio, quod puncta vocalia & accentus, quibus codex sacer est instructus atque ornatus, ex ingenio humano profluxerint. Nec quodam loco parallelo haec lectio potest illustrari, dum numquam עון sed מעון aut מעונה occurrit, Exod. Cap. XXI, v. 10.

CIX , v. 9. 10. 12. 13. 14. 15. Jerem. Cap. XXXIV,  
v. 7. Lib. Sapient. Cap. III , v. 16. seqq. Decernunt qui-  
dem

Hof. Cap. X. v. 10. *Clericus in Project d'une nou-  
velle Version Part. I. Cap. 9. §. 6. La noi de l'impie-  
tè du peche .le scen. Essay on a new vers. pag. 107.*  
*Stackhousius* & alii nostra laude longe superiores Phi-  
lologi voces על בנים reddunt per filios seu ob il-  
los, hinc sensus est. 1) Deus per filios tamquam causam  
vindictae suae instrumentalem in parentes ani-  
maduertit, cuius rei testimonium perhibet regnum  
affectantis, ac Davidem, patrem suum, fugantis Absalomi  
vitae exitus 2 Sam. Cap. XV. seqq. 2) aut pa-  
rentes poenas persoluunt, vt ipsorum liberi sibi  
caueant, ne in societatem delicti & flagitii trahan-  
tur. Prouocant quidem ad loca 1. Chron. Cap. XIX,  
v. 5. Psal. XV, v. 3. Exod. Cap. XIV, v. 25.  
Iof. Cap. X, v. 14. At non modo petunt princi-  
pium, sed, quod praeprius in explanando legis-  
latoris sermone nefas est, a vulgari particulae istius  
in codice sacro recedunt significatu. Potiores hae  
sunt explanationes, reliquas aequae absonas silentio  
praeterimus. Mirum nobis non est, tam variis de  
hoc oraculo interpretes dissidere sententiis. Per-  
suadent enim sibi quam plurimi, ac si nostra expositio  
cum aliis locis nimirum Deuter. Cap. XXIV. 16.  
2 Chron. Cap. XXV. 4. Jerem. Cap. XXXI. v. 30.  
Ezech. Cap. XIII. v. 19. 20. non possit conciliari,  
quibus Deum in filios non esse vindicaturum scelera  
& flagitia parentum, Spiritus S. satis luculenter te-  
statur. Omnis vero difficultas & repugnantia tan-  
tum adparens sic facile tollenda erit. Liberi facta

dem saepius id poenarum genus summi imperantes  
& reipublicae gubernatores, longe vero disparem  
esse huius rei conditionem, nemo non intelligit. Ma-  
la enim, quae in sobolem ob maiorum delicta transfe-  
runt, ex Principum arbitrio & lubitu eueniunt, con-  
traria e parte, quae Moses minatur, ex nexu, a sapi-  
entissimo Numine optime constituto, quem praeui-  
dendi ac praedicendi nulli mortalium concessa est fa-  
cultas, sunt subsecuta. Diuinus ille sacrae scripturae  
auctor, ne quis se inani & vano terreri metu stolide  
sibi persuadeat, litteris consignari exempla curauit,  
quae intentis contempletur oculis. Lapsus infirmitate  
Noachus, & postquam expergefactus, haud insci-  
us rerum gestarum, non Chamo, filio suo, ludibrio il-  
lum habenti, sed nepoti Cenahani sic maledixit  
אָרֹר כִּנְעָן עֵבֶר עֲבֹרִים יִהְיֶה לְאַחֵיו  
Cenahan

parentum abominanda grauioraque flagitia consensu  
suo excipientes, complent patrum mensuram  
Matth. Cap. XXIII, v. 30, 34. 1 Theff. Cap. II.  
v. 15. 16. hinc & vt iisdem grauissimum constitua-  
tur supplicium, Dei iustitia eaque vindicatiua effi-  
cere debet. Infantes vero, scelerisque impuros,  
licet quidem malum, quod vocant physicum, quod-  
que malum minus est in respectu ad maius, hincque  
bonum, iisdem ob parentum delicta infligere possit,  
quo minus ipse puniat, eadem virtus impedit. Plu-  
ribus hac de re egit eruditus auctor *comment.*  
*die Gerechtigkeit Gottes beim Familiensluch*  
pag. 101. in den *Pommer- und Rügenschén Bei-*  
*trägen Tom. I.*



Cenahan, seruus seruorum erit fratribus suis, Genes. Cap. IX, v. 25. i. e. fit maxima vilissimaque seruitute addictus suis fratribus. Sic Hebraeorum idiotismo sanctum sanctorum pro sanctissimo, Exod. Cap. XXVI, v. 33. Rex Regum & dominus dominorum pro Rege ac Domino ponitur Esdr. Cap. VII, v. 12. Deuter. Cap. X. 17. & alibi. *Whistonus* in *Accomplissement des Propheties*, *Campanella de Monarch. Hisp. Cap. XIV*, & *Mede* in *Disc. XLVIII. pag. 358.* in ea sunt sententia, quod Noachus omnes ac singulos, Chamum familiae ac gentis suae conditorem habentes, omnibus detestatus fuerit precibus, nec Chami posterum, populos, qui a Semo aut Iapheto genus ducunt, sub potestatem vnquam redegerint. At nos in hanc trahi sententiam, haud patitur Israëlitarum historia. Testatissimum enim est, quod non modo Semi posterum, Israëlitae nimirum, per aliquot saecula durissima in Aegypto subierint fata, sed & Rehabeami, filii & successoris Salomonis ab Aegyptiorum Rege multa affecti clade i. Reg. Cap. XIV. v. 25. 2 Chron. Cap. XII. v. 2. 9. & tandem Babyloniam, Chaldaicarum gentium caput, captiui fuerint abducti. Congruit autem magis historiae ea huius execrationis explanatio, qua modo Cenahan, & qui ab eo generati intelliguntur. Cananaeorum enim regiones ac vrbes, ex Aegypto qui erant egressi, Israëlitae diruebant ac funditus evertebant, imposito iis iugo, quos non consumserat gladius. Et quotquot Salomonis aetatibus eorum reliqui erant, ad vilissima perficienda cogebantur negotia,

gotia, Efdr. Cap. VIII. v. 20. 2 Chron. Cap. VIII. 7. 8. 9. Satis superque igitur liquet, quod & haec maledictio Noachi, ante aliquot saecula praedicta, & annuntiata, cuiusque Moses eum quoque in finem fecit mentionem, vt ciues eo magis ad suos hostes bello opprimendos acueret & incitaret, complemento haud caruerit, sed eidem euentus ipse exacte responderit. Nimis longum foret reliqua exempla pluribus enarrare. Pia tamen & adtenta mente velim pensitentur, quae referuntur 1 Sam. Cap. II, v. 31. seqq. Cap. IV. v. 17. 1 Reg. Cap. XXI. v. 29. 2 Reg. Cap. IX. v. 26. Ios. Cap. IX. v. 15. coll. 2 Sam. Cap. XXI. v. 1. seqq. 2 Reg. Cap. V. v. 27. 2 Sam. Cap. XII. v. 15. seqq. Matth. Cap. XXVII. v. 25.

## §. V.

Praeter animaduersionem Dei, iudicis omnium iustissimi, in sobolem minatur transgressoribus legum suarum Moses tam infortunia, quam poenas mirabiles. Infortunium vocant Philosophi nostrae aetatis acutissimi malum fortuitum spiritui ob malum morale illatum, fortunam vero, complexum causarum extra spiritum positarum ad eius prosperitatem aut miseriam concurrentium. Debemus hanc explicationem Celeberrimo *Alexandro Gottl. Baumgarten in Metaphys.* §. 912, quam vberius & praeclare illustrauit *Georg. Frider. Meier in Tract. vom Glück und Unglück* §. 4. seqq. anno 1753. in lucem edito. Probatione

Infortunia,  
& poenae  
miraculosae.

C

ne

ne non indiget, quod Deus, optimus mundi, quantus quantus est, gubernator, isque solus ad fortunam tam prosperam, quam aduersam singulari quadam concurrat ratione. Hinc inde maxima cum certitudine colligitur, legislatorem, qui infortunia, suo non destituta euentu ac implemento, vaticinatur, iisque tamquam caussis impellentibus vtitur, a Deo esse missum. Id quod ideo non erit in dubium vocandum, quum status mundi futuri, quatenus per fortunam determinatur, a voluntate Dei modo dependeat. vid. *Wolffius in Philosoph. Mor. Germ. §. 30. seqq.* Iam vero Moses eiusmodi praedixit infortunia, cuius rei testimonium, vt alia quam plurima transeamus silentio scripturae loca, Deuter. Cap. XXVIII. v. 16. seqq. perhibet satis certum ac firmum. Transgressoribus legum suarum minatur ibidem pestem, tabem, morbum regium, caelos aeneos, terram ferream, Aegypti vlcera, inopiam omnium rerum, captiuitatem, opprobrium & ignominiam. Quae quum non sint sub finiti spiritus potestate, nec casu ac fortuito in hoc mundo eueniant, pro infortuniis recte sunt habenda. Confirmant huius rei certitudinem & veritatem dura & acerba gentis Israëliticae fata, quae ipsa, florente adhuc sua republica, iam sustinuit, quaeque in captiuitate Babylonica, in Syria, in Aegypto, & post Christum natum non modo a Romanorum Imperatore *Tito*, qui omnem rei publicae formam penitus euertebat, ac in vniuersum terra-

terrarum orbem populum illum dissipabat, sed & aetate recentiori sub Regum Lusitaniae & Hispaniae ditione tolerauit. Nimis longum foret, haec ex ordine referre, quare plura desiderantem remittimus ad *Iosephum de bello Iudaico*, *Basnagium in histoire des Iuifs*, *Georg. Bodenschatzium in der Kirchlichen Verfassung der heutigen Juden Part. I. Cap. III. & IV.* ac quam plurimos alios. Denique Moses poenis portentosis, quas vocant miraculosas, suam luculenter probauit auctoritatem. Id poenarum genus non ex naturali ac necessaria consecutione, sed ex arbitrio Dei ac eiusdem potentia, extra naturae ordinem operante, concipitur. Quare, quum spiritui finito nulla insit vis ac facultas ordinem mundi eiusque leges mutandi, ac quid miraculi instar, edendi, recte efficitur, vt, qui eiusmodi poenas ciuibus, imperium recusantibus, dictoque non illi audientibus minitatur, legislator diuina sit instructus auctoritate. Mosi scripta qui perlegit, haud obscurum illi esse potest, miracula vtramque complere paginam. Inundatio orbis terrarum, linguarum commixtio & confusio, ac Sodomorum euersio de hoc poenarum diuinarum genere satis testantur. Proxime huc spectant miracula coram Rege Aegypti, Pharaone edita, quibus Moses ipsum de sua diuina legatione studuit conuincere, & ad populum ex seruitute dimittendum commouere. Refert idem duo praeprimis seuerissimi supplicii exempla, quibus nihil certius, clarius & verius esse

esse potest, quod Deus pro ipsius parte steterit, suam vindicaturus ab omni hostium iniuria auctoritatem. In Israëlitas, tumultum contra Mosen facientes, serpentes, qui ante seditionem neminem ipsorum morderant, immittebat Deus, adeo, ut magna populi facta fuerit clades Numer. Cap. XXI, v. 5. seqq. Quod vero non naturali euentu fuisse consecutum, firmissimis euicit rationibus *Scheuchzerus in Physica sua Part. IV. pag. 20.* Idem subiit fatum factio seditiosa Korachi, Dathanis, & Abirami, qui quidquid Moses in rebus sacris decernebat, ac ordinabat, haud aequo ferebant animo. Qualem enim ille praedixerat, talis nouorum erat consiliorum auctorum vitae exitus. Aperiebat terra os suum, absorbens eos cum omnibus, viuique in terrae hiatus repentino praecipitabantur motu, Numer. Cap. XVI. Haec & plura alia supplicia non modo in exemplum genti suae proposuit, sed & ipse statuta sua ac leges iisdem consensit poenis. Zelotypiae, ut exemplum quoddam addamus, aqua, adulterii suspectae mulieri, hocque flagitio conspurcatae ac contaminatae, mortem adferebat repentinam & momentaneam, infons vero mulier, hanc ebibens, nihil damni capiebat Numer. Cap. V, v. 28. seqq. \*

§. VI.

\* Eruditissimus *Iohannes Spencerus, Theologus Cantabrigiensis in praeclaro opere de legibus Hebraeorum ritualibus Libr. III. Dis. I. sect. 3. Cap. 2. pag. 788.* itidem paradoxam de aqua zelotypiae in medium

## §. VI.

Actum hucusque fuit de suppliciis ob maiorum Vitae longae-  
 scelera a sobole repetendis, de infortuniis, ac poenis, vac promissio.  
 quas

profert sententiam, „Est vero non absimile, inquit,  
 „gentes etiam profanas huiusmodi mediis prodigiosis  
 „occultorum facinorum veritatem explorare solitas;  
 „& Deum, rationem illam miraculosam ad vxoris in-  
 „nocentiam probandam Hebraeorum genti conces-  
 „sisse, ne gentes exterae prodigio vel privilegio ali-  
 „quo populum eius superare viderentur; vel He-  
 „braei, zelotypia commoti, medio aliquo magico &  
 „inter gentes vsitato, ad suspectam vxorum fidem  
 „explorandam, vterentur. In hanc sententiam variis  
 „inducor argumentis: 1) nequiquam probabile vide-  
 „tur, Deum tam frequenter, immo quotidie, (si vsus  
 „exigeret) miraculum efficere voluisse, ad zelotypi  
 „cuiusuis Israëlitae animum leniendum, nisi quod  
 „huiusmodi prodigiosa innocentiae tentandae media,  
 „apud Idolorum cultores, in vsu frequenti poneren-  
 „tur. Minime necesse videtur, vt miraculoso aquae  
 „amarae testimonio se purgaret adulterii suspecta con-  
 „iux, cum alicuius Prophetae testimonium suspicio-  
 „nem illam multo facilius amoliri posset. 2) gentes  
 „antiquiores, in quouis pene graui & probationis ob-  
 „scurioris crimine, medio aliquo prodigioso, inno-  
 „centiae experiundae causa, vtebantur. Cum enim  
 „in periurii suspicionem venisset quispiam, habebant  
 „Ethnici ὕδωρ ἰσ ἐλεγμαῖν aquam redargutionis, prout  
 „aqua zelotypiae vocatur a Graecis interpretibus.  
 „Testem appello *Philostratum de Vit. Appollon. l. 1.*

quas vocant miraculosas, quibus tamquam caussis mouen-

„c. 4. p. 7. qui de aqua illa loquens, inquit, Ἰσραὴλ μὲν ἐνόρκοις ἰλεών τε καὶ ἡδὺ ὕδωρ, ἐπιόρκοις κ. 7. λ. Quae ad haec argumenta regerimus, sunt sequentia momenta. 1) Finis huius miraculi non tantum ad zelotypi Israëlitae animum emolliendum, sed simul ad doctrinam, a Mose traditam, probandam tendebat. 2) Non adhibebatur hoc explorandae innocentiae medium, nisi admodum probabiles suspicionis suae causas attulerat zelotypus ille maritus, hinc nec frequens erat. *Vid. Ioh. Christ. Wagenseilius Massechet Sota, & Andr. Acoluthus de aquis amaris, maledictionem inferentibus*, qui & hanc legem, stante adhuc altero templo, abrogatam fuisse, ex Hof. Cap. IV, v. 14. colligit 3) Errat *Spencerus* contendens, suspicionem testimonio Prophetæ detegi potuisse, hinc miraculo haud opus. Propheta enim, nisi Deus ipsi suggessisset, huius rei testimonium haud perhibere potuisset, incidit igitur ipse, cum inspiratio & suggestio sit miraculum, in eam, quam profligare studuit, sententiam. 4) Israëlitas in suum Deus receperat peculium, Exod. Cap. XIX, v. 5. Deut. Cap. IV, v. 20. vt igitur gens Israëlitica a caerimoniis ac institutis populorum, Deorum cultui deditorum, abhorreret, Mofi legislatori erat eo videndum Deuter. Cap. IV, v. 6. seqq. Et si *Spencero* concedamus, inter nonnullas caerimonas Israëlitarum & reliquorum populorum quandam deprehendi similitudinem, ipsa imitatio tamen inde minus recte colligi potest. Et denique 5) *Philostratus*, qui vbiuis hallucinatur, quemque citat, haud testis habetur fide dignus. *vid. Bochartus in Canaan. libr. I. Cap. 28.*

mouentibus a cultu flagitiorum ad studium virtutis rectique ciues suos auocabat. Restat nunc, vt de praemiis, in hac sperandis vita, paucis dicamus. Quemadmodum Moses primam legum suarum tabulam grauissima inceperat comminatione; sic idem sub initium alterius filiiis, parentes suos, colentibus, ac obseruantibus, quo maius in hac vita mortalibus donari non potest, beneficium promittit, praecipiens:

כבד את אביך ואת אמך למען יארכו וימך על הארמה  
: כבד את אלהיך נתן לך  
: honora patrem  
tuum, & matrem tuam, vt prolongent dies tuos super terram illam, quam Iehoua, Deus tuus, dat tibi, Exod. Cap. XX, v. 12. Adparet inde haud satis praedicanda legislatoris prudentia.

Ut enim in primo praecepto omne pondus ac momentum officiorum in Deum est positum; sic a pietate liberorum in parentes cultus ac obseruantia officiorum, quae tradit altera tabula, dependet Genes. Cap. XVIII, v. 19. Deuter. Cap. VI, v. 7. Est haec lex nobis innata, ad quam colendam omnes ac singuli mortales sunt obligati. Quare & bonum, quod promittit Moses, est commune, cuius vsus omnibus est expositus. Sunt,

qui Mosen hoc bonum Iudaeis tantum promississe, afferunt. Quum Div. Paullus vero in nouo testamento non modo illud repetat praeceptum, scribens: τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. (ἧτις ἐστὶν ἐνβολὴ πρώτη ἐν ἐπαγγελίᾳ) sed simul eiusdem promissionis mentionem faciat, ἵνα εὖ σοι γένηται, καὶ ἔσῃ μακροχρόνιος ἐπὶ τῆς γῆς.

D

Ephes.



Ephes. Cap. VI. v. 2, 3. dubium non est, quin & idem bonum nobis sit promissum. Quod ad subiectum huius commatis spectat, interpretum alii respiciunt parentum vocem, vt sensus sit: parentes tui (Deum nimirum summis rogaturi precibus) dies tuos prolongabunt, alii, vocatis in subsidium locis parallelis, Deuter. Cap. VI. v. 1. 2. Prouerb. Cap. III. v. 1. 2. ita reddunt: praecepta haec vitam tuam ad multos producent annos. Neutra harum explanationum nobis placet, quum, quando alia eaque commoda ratio adest, ad ellipsin non erit fugiendum. Est apud Ebraeos in vsu, loco verbi impersonalis ac passiuu saepius poni actiuum, Genes. Cap. II. 20. Prouerb. Cap. IX, v. 11. Iob. Cap. VII. v. 3. sensus verborum ergo ita fluit: honora patrem & matrem, vt prolongentur dies tui. Viuere quis dicitur, qui edit actiones, naturae suae ac fini conuenientes. Quo plures igitur homo edit actiones honestas, laude dignas, ac fini suo, i. e. gloriae Dei ac religioni conuenientes, eo longior est vita, eoque protensior, quo magis autem a virtute illae sunt remotae, eo magis circumsisa, ac eo breuior est vita, quam viuit flagitiosus. Qua quidem ex re nemo non intelligit, quam plurimos in errore versari, qui longaeuitatem hominum multitudine annorum, non vero virtutum & rerum optime gestarum metiri sunt soliti. Praeclare de longaeuitate scribit, & qui legatur, dignus est auctor Libr. Sap. Cap. IV. v. 7. seqq. Quaeritur quidem recte caussa longaeuitatis, licet non sit vnica, in studio virtutis, illi enim qui fauet, se corruptelarum ille-

illicebris irretiri non patitur. Nemo tamen legislatorum eiusmodi promissione umquam fuit ausus ciues ad colendas leges impellere atque incitare: Apud Deum enim tantum est potestas vitae humanae terminum tam prolongandi, quam diminuendi, siue id fiat in gratiam, siue in iram. Definiti sunt, inquit Iobus, i. e. certa lege circumscripti dies hominis, numerus mensium eius est apud te (alloquitur Deum), statuta eius fecisti, quae non transgredietur, Iob. Cap. XIV, v. 5. coll. Ebr. Cap. IX, v. 27. Fatalem tamen vitae terminum nolim habeas, si per fatum intelligas seriem euentuum in se & absolute necessariam. Dei enim decreta, id quod in scholis Philosophorum probatur, semper rationem habent obiectiuam, quare & ille in praescribendo vitae hominis termino illius morum, temperamentum, & corporis conditionis rationem habet. Vid. praeter alios *Ifr. Gottl. Canzius disput. de humanae vitae termino, neque casui neque fato obnoxio, occasione Orac. Hiob XIV. v. 5.*

## §. VII.

Sed haec sufficiant. Reliqua, quae de altero Conclusio. caussarum mouentium, quibus legislator Moses usus fuit, genere contra *Warburtonum* sunt dicenda, in aliud, Deo bene iuuante, differam tempus. Haec autem, quas nunc contra DEISTAS in medium protulimus, meditationum nostrarum est summa. Quicunque

que legislator ciuibus suis huius vitae mala & bona minatus fuit atque promisit, quae satis luculenter produnt Dei O. M. prouidam curam, quaeque non sine praecipuo euenere eiusdem concursu, eum ipse diuina iustruxit auctoritate. Summus vero reipublicae iudaicae moderator, Moses erat is legislator. Ergo. Minorem, me quidem iudice, euincit haec commentatio. Maiorem autem qui Dei virtutibus probe imbutus, in dubium vocare audeat, neminem fore, arbitror.


P. P. GVSTROVIAE DIE XIII. MAII. A. R. S.  
M. D. CCLVI.











als auf den Staat seyn. Er wird einer zügellosen  
heit, woraus Spaltungen, Sectirerey, Verfol-  
d Notten entspringen, mit sanftmüthigem Ernst  
hun. Er weiß es, daß die Religion, die Christus  
dem Staate gute Bürger, arbeitsame, aufrichtige,  
ehrliebe und rechtschaffene Unterthanen verschaffet.  
es, daß die so theuer erworbene Bekenntnißbücher  
irche eine Schutzwehr unsrer Ruhe und Sicherheit  
onsübungen sind. Er wird daher diese gegen alle  
ngen in seinen Schutz nehmen. Dem Höchsten  
! daß wir noch in so manchem Minister, von dessen  
Weisheit und Klugheit die Wohlfahrt ganzer  
abhänget, einen Freund Christi, der seiner Reli-  
e macht, hochzuschätzen, das Glück und die Freude

dieser Betrachtung giebt mir die milde Stiftung,  
thätige Gesinnung Sr. Excellenz des Hochwohl-  
en Herrn, Herrn Christian Ulrich von Ke-  
— — — gegen unsern Musentempel Gele-  
Nach diesem Institut, welches dem Herrn Gehei-  
zum unvergeßlichen Ruhm gereichen wird, soll das  
t der Reformation des großen Luthers am 31sten  
durch eine deutsche Rede, welche der Feyer dieses  
maß ist, vor den öffentlichen Lehrstunden dem Höch-  
Preise jährlich erneuert, und unter fleißige und ge-  
schüler Bücher ausgetheilet werden. Keine Zeit  
wohl mehr die Erneuerung dieser Wohlthaten, wel-  
seiner Kirche erwiesen, als eben die gegenwärtige,  
e von so vielen verkannt werden. Der Herr Ge-  
th hatte im vorigen Jahre sein funfzigjähriges Amts-  
auf einem seiner Rittergüter gefeyret, und war  
n von dem Allerhöchsten mit vieler Munterkeit des  
und Leibes gesegneten hohen Alter von einer zahl-  
reichen

